



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

4. Bellorum sæpe levissima causa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

----- Similis si permutatio detur,
Morte viri cupiant animam fervare catellæ.

Fuit, quæ feli suæ testamento legavit quingentos philippeos, videlicet, ut honestâ semper mensâ frueretur. Drex. in Prodrum. c. 3. §. 10. Digna sanè pietas, cui procedant in funus musculi, timore saturi hostis expediti.

IV. (d) Quid autem miramur, cervum casu trajectum, tantum in unius pueri pectore Iuctum excitasse, cum atrocibus præliis, densatis vulneribus propter cervum *Sylvia*, cuiusdam rusticanae puellæ, ab Afcanio puero Æneæ filio, in venatione intetemptum, Latinorum & Trojanorum acies concurrerint? Quid decantatius, quàm Tragœdia Iphigeniæ? nam propter illam mactatam, mactatus quoque est Agamemnon à conjugè Clytemnestra, & hæc ab Oreste filio, in ultionem patris. Hujus verò errores & insanias quis referat? atqui omnia hæc tragica spectacula unicâ tantum, & levi scintilla inflammata sunt. Agamemnon ludens in Dianæ luco, fortè cervam, ei Deæ sacrum, interfecit. Hinc illæ lacrimæ quas narrat *Electra* in tragœdia sui nominis apud Sophoclem. Ecce quàm parva res mortales ad ferram & flammam provocet; adedò, quod Seneca conqueritur, *puerilitas in viris est.*

V. (e) Cyparissus in cupressum arborem mutatus est. Est hæc arbor feralis, & mortuorum sepulchris destinata: memoriam mortis etiam adolescentulis ingerit. *Serius* aut *citius* ad eandem properandum est metam juvenique, senique. Cupressus excisa non repullulat: est enim semel calcanda via lethi; nec conceditur reditus. Horat. lib. 2. Od. 14.

----- neque harum, quas colis, arborum

Te, præter invisas cupressos

Ulla brevem dominum sequetur.

Cupressus quamvis in altum cacuminetur; est tamen sine fructu: ut scias mortuis nihil prodesse sublime stemma, nisi virtutis fructus accedat. Possis etiam in contrarium vertere: Cupressus cariem non sentit, & erecto in cœlum vertice tendit: nam virtus post funera vivit, & æternam sui memoriam relinquit.

VI. (f) Alia quoque doctrina, præsertim adolescentibus, est è Cypresso decerpenda. Ecclesiastici 24. Sapientia comparatur Cypresso. Et quasi cypressus in monte Sion. Cur? 1. Ratione pulchritudinis: est enim ei coma rotunda, & in conum cuspidata. Unde decus hortorum

V v 2

Cypa-

(d) Bellorum sæpe levissima causa. (e) Cypressus Symbolum & memoria mortis.

(f) Instructio adolescentium ex consideratione Cypressi.